

sunt fidei, sed illa voluntas non est actus charitatis, nec spei, sed appetitus boni repromissi. » Ita S. Thomas. Constat autem, quod appetitus boni repromissi est amor concupiscentiæ, circa bona divina, quæ sunt bona repromissa, et dicit S. Thomas: « Quod non est actus charitatis, neque spei. » Elicitur ergo ab alio principio, scilicet ab illo, a quo elicitur pia affectio fidei: ex hoc enim afficitur aliquis ad fidem, quia afficitur ad bonum repromissum, et sicut prius vult Deum imperfecte quam credat Deo, sic pius vult imperfecte bona repromissa quam speret illa, et ab eodem principio elicitur appetitus concupiscendi id quod creditur, et quod speratur.

XXII. Et hujus ratio est, quia amor concupiscentiæ non habet aliquam specialem difficultatem rationem cujus exigit speciale principium, nisi supernaturalitatem; naturaliter enim unusquisque se amat, et sibi vult bonum, sed solum quia illud bonum, quod sibi amat supernaturaliter est, requirit aliquod principium altius, et elevatius ipsa natura ad concupiscendum illud, sed tamen propter suam imperfectionem non exigit habitum specialem pro se, sed sufficit quod reducat ad aliquam virtutem supernaturalem, sicut desiderium et gaudium ex amore charitatis ortum, ad charitatem reducitur, ut dicit S. Thomas infra quæstione xxviii, articulo iv. Unde et actus concupiscentiæ, qui invenitur in pia affectione reducitur ad ipsam virtutem fidei, quatenus est inchoatio illius, quia fides originatur, et pendet a voluntate, licet formaliter sit in intellectu, unde etiam ex parte voluntatis supponit aliquod principium inclinans, et afficiens voluntatem ad rem supernaturalem credibilem saltem imperfecto modo. Et illud principium inchoans fidem, et corrigens volun-

latem ab infidelitate (ut loquitur Concilium Arausicanum II) non est quarta virtus theologica, sed initium primæ virtutis, quæ est fides, ad eamque reductive pertinet, sicut inchoatio et initium imperfectum reducitur ad rem perfectam; postulat tamen habitum, seu aliquid habituale a quo connaturaliter eliciatur actus piæ affectionis, et permanenter, sicut elicitur actus fidei, sicut in tractatu de fide ostendimus. Quare ab eodem principio sufficienter elicitur amor concupiscentiæ imperfectus erga Deum, qui antecedit amicitiam charitatis.

XXIII. Instabis: In hæretico potest manere actus concupiscendi Deum, imo et sperandi, nam si non maneret spes, non posset sperare veniam, et pœnitentiam a peccato suo, quod tamen sperare potest et tenetur, et tamen non manet in illo pia affectio supernaturalis, quia destructa fide non movetur supernaturaliter ad credendum, quia id quod credit hæreticus supernaturaliter non credit, igitur neque supernaturaliter vult credere: igitur assignandum est principium a quo eliciatur amor concupiscentiæ supernaturalis.

XXIV. Respondetur, quod si quis concederet in hæretico manere spem theologiam, etiam concederet non destrui habitum piæ affectionis, quia non est necesse quod destructa fide destruat id quod antecedit fidem; cæterum oppositum existimo certo esse tenendum, quia destructa fide destruitur fundamentum spei theologicæ, est enim fides, ut inquit Paulus ad Hæbreos xi: *Sperandarum subsistentia rerum*, id est, fundans, et subsistens ipsis rebus sperandis, quare infidelitas secundum se opponitur spei theologicæ. Et si quis hæreticus manens in hæresi sperat beatitudinem, non sperat, sed præsumit, eo quod non sperat secundum virtutem fidei, et rectitudinem

illius credendo beatitudinem, eo modo quo a Deo proponitur, sed eo modo quo ipse existimat per propriam electionem, et voluntatem, et sic supernaturali modo non cognoscit illam, et consequenter neque supernaturali modo proponit, ut sperandam. Similiter cum pia affectio, juxta dictum Concilii Arausicani corrigat voluntatem ab infidelitate, si hæreticus eam non corrigit, quomodo manet in eo pia affectio supernaturalis, sicut in catholico. Quod autem iste possit, et teneatur sperare non arguit, quod quod habeat habitum spei, sicut etiam tenetur credere, et convertere se in Deum, et tamen non habet habitum fidei, neque pœnitentiæ, sed ad hanc obligationem, et possibilitatem sufficit auxilium divinum, quod omnibus paratum est, ut se disponant. Et ex eodem auxilio potest habere actum amoris concupiscentiæ, sicut motum spei et timoris, qui tamquam dispositiones præcedere solent conversionem peccatoris. Utrum vero possit habere habitum spei acquisitæ circa Deum, et consequenter amorem concupiscentiæ acquisitum, articulo quarto disquiretur. Nunc autem solum loquimur de amore concupiscentiæ supernaturali, de quo argumentum procedit; nam illum dari certissimum est, sicut datur pia affectio, quæ est initium credendi corrigens voluntatem ab infidelitate, et consequenter naturalis amor esse non potest.

XXV. At vero in patria amor concupiscentiæ elicitur a fruitione divina, quia ibi concupiscentia de Deo semper est conjuncta fruitioni, eum concupiscat Deum ut præsentem et possessum a se, non ut absentem, nec præscindendo ab absentia et præsentia; forte enim juxta naturam illius status non est possibile sic præscindere propter

vehementiam objecti infiniti rapiensis, et necessitantis voluntatem ad amandum se ut præsentem. Et præsertim, quia talis actus importat imperfectionem, quatenus voluntas non movetur sufficienter ab objecto, sed cum imperfectione, et præcisione ab absentia; præsentia igitur ex fruitione divina, qua de Deo possessio delectantur beati, erit ille amor concupiscendi illum sibi ut præsentem, sicut ex appetitu boni repromissi, quando erat in via oriebatur amor concupiscendi Deum promissum.

XXVI. Secundum fundamentum patris Suarez est, quia Deus ut auxilians importat rationem causæ efficientis ut dicit S. Thomas hic quæstione xxvii, articulo iv et v; sed causa efficiens non specificat, cum specificatio reducat ad causam formalem; ergo divinum auxilium non est formalis ratio spei, sed Deus ut causa finalis, et bonum concupiscibile. Unde in articulo secundo ponit S. Thomas beatitudines pro objecto specificante spem; ergo bonum et non auxilium. Addit pater Lorca ubi supra, disput. vi S. Thomam infra quæst. xxviii, articulo i ad tertium ubi dicit, quod gaudium de Deo prout a nobis participatur procedit etiam ex spe; sed gaudium pertinet ad electionem, et consequenter ad rationem concupiscibilis; ergo habitus spei, non solum actum sperandi, sed etiam concupiscendi elicit. Unde, et ista quæstione xvii articulo viii docet S. Thomas: « Quod spes pertineat ad amorem concupiscentiæ; » ergo habitus spei utrumque comprehendit.

XXVII. Confirmatur, quia ad rationem formalem objecti voluntatis, et spei solum pertinet ratio boni et assequibilitatis ejus, quod autem bonum sit obtinendum per hoc vel illud medium, hic, aut illis viribus

non variat rationem formalem boni sperati, sicut si spero sanitatem, non variatur ratio spei, quia spero illam per medicinam, vel sine illa, et quod sperem a Deo aliquid ex mera gratia, vel ex meritis non variat intrinsecam rationem spei; ergo quidquid pertinet ad auxilium divinum, quod est medium perveniendi ad rem speratam, non pertinet ad rationem formalem spei. Et eodem fere argumento probat pater Suarez rationem ardui non distinguere rationem boni in spe, a ratione boni in charitate, quia si ratio ardui importat rationem difficilis, non pertinet ad objectum spei, quod est bonum ut prosequendum, difficultas autem non est ratio prosequendi, sed potius retrahendi animum a bono; si autem nomine ardui importetur aliquid pertinens ad magnitudinem, et excellentiam boni, totum hoc invenitur in objecto charitatis, quod est excellentissimum bonum.

XXVIII. Respondetur ad primam auctoritatem D. Thomæ, quod ipse expresse ponit Deum, ut causam efficientem respectu possibilitatis objecti sperati esse rationem formalem objecti spei, unde nihil obstat sententiæ nostræ dicere, quod Deus ut auxilians est causa efficiens. Quod autem subditur causam efficientem esse tantum extrinsecam, et non specificantem, laboratur in æquivoco, quia causa efficiens potest comparari, vel ad ipsam rem specificatam, quæ est habitus, vel potentia; et sic fatemur quod causa effective producens habitum spei, qui est ipse Deus, ut infundens talem habitum, non est ratio specificativa illius; vel potest comparari causa efficiens, respectu ipsius objecti sperati, quatenus refundit in illud aliquam denominationem, seu modum pertinentem ad rationem formalem objecti sperati, sicut est possibilitas

non solum ut sit adipiscibilis, sed etiam ut sit vincens difficultates, et hoc modo causa efficiens, pertinet ad rationem formalem specificativam spei.

XXIX. Ad secundam auctoritatem dicimus, quod beatitudo ponitur a D. Thoma ut objectum specificativum spei, ex parte rei speratæ, tamquam objectum materiale; non ex parte rationis formalis sperandi, quæ est auxilium divinum modo explicato. Ad auctoritatem patris Loreæ respondetur, quod gaudium procedens a spe non procedit sub ratione concupiscibilis, sed sub ratione irascibilis; nam etiam in parte irascibili potest inveniri delectatio. Quæ est expressa doctrina S. Thomæ in III, distinct. XXVI, quæstion. I, artic. II ad tertium ubi ait: « Quod spes facit delectationem, et hæc delectatio non est in concupiscibili, sed in irascibili, quælibet enim potentia appetit sibi conveniens, et de eo delectatur. » Ex eo ergo, quod spes eliciat delectationem pertinentem, et concomitantem ipsum motum partis irascibilis, non sequitur quod eliciat amorem concupiscentiæ, ut pertinet ad partem concupiscibilem. Quando autem dicit S. Thomas in ista quæstione XVII, spem pertinere ad amorem concupiscentiæ, notanda sunt verba; non enim dicit amorem concupiscentiæ pertinere ad spem quasi ab ea elicitem, sed dicit e contra, spem pertinere ad amorem concupiscentiæ quasi in eo fundatam, et illum præsupponentem.

XXX. Ad confirmationem respondetur, quod diversitas mediorum ad aliquid obtinendum non variat rationem boni assequibilis, ut pertinet ad specificativum spei, quia jam supponitur possibile et assequibile, et solum additur diversus modus accidentaliter, pertinens ad executionem hujus assecutionis. Si autem

aliquod medium non solum sit medium executivum assecutionis, sed etiam constitutivum boni in ratione possibilis et assequibilis, sicut est omnipotentia divina auxilians, tale medium non accidentaliter, sed intrinsece se habet ad specificationem boni, ut specificati. Ad alteram partem argumenti respondetur, rationem ardui, ut specificantis spem intra lineam bonitatis contineri, sicut continetur intra lineam objecti voluntatis, sed ista specialis ratio (ut diximus) non consistit in sola excellentia, et magnitudine boni, neque in ipsa difficultate, ut tenet se ex parte laborum, et difficultatum, sed in ipsa ratione boni, ut est repulsivum, et vincens opposita impedimenta, ut explicatum est.

XXXI. Fundamenta patris Vazquez, et Torres facilia sunt: arguitur enim sic: Potest aliquis sperare a Deo auxilium, non præ intellecta beatitudine, nec formaliter sperata per illum actum; ergo solum divinum auxilium, et non beatitudo est objectum formale spei. Item, quia a Deo ut omnipotenti, et fidei possum sperare aliquod bonum creatum, et hic est actus spei, quia speratur arduum ut assequendum alterius auxilio; et quia illud auxilium est divinum, illa spes erit theologica; ergo est sufficiens specificativum spei theologicæ auxilium divinum, sicut divina testificatio est objectum fidei, etiamsi res credita sit aliquid creatum. Et confirmatur, quia alias sequeretur dari quartam virtutem theologicam, quia talis actus sperandi aliquid creatum ex divino auxilio innititur Deo auxilianti; ergo respicit Deum, ut objectum formale immediatum; ergo est virtus theologica, ad virtutem enim theologicam non requiritur, nisi quod ejus immediatum sit Deus; tunc autem est maxime immediatum quando

est objectum formale; ergo sic respicere Deum, pertinet ad aliquam virtutem theologicam; neque enim divinum auxilium tunc respicitur in obliquo, sicut religio respicit Deum, sed in recto, sicut obiectum formale, verbi gratia, lux respicitur a visu. Denique arguit Vazquez in part. disputatione XLIII, cap. II, quod si homo speraret beatitudinem æternam, ut consequendam per auxilium humanum non speraret illam virtute theologica, quia non Deo, sed homini niteretur; ergo signum est spem theologicam, solum respicere divinum auxilium per se, et essentialiter; quod autem res sperata sit bonum divinum, vel creatum per accidens se habet.

XXXII. Ad primum respondetur, quod auxilium divinum supernaturale quoad substantiam non potest sperari non præ intellecta beatitudine vel formaliter, et explicite, vel virtualiter et implicite, quia est supernaturale, quoad substantiam essentialiter ad beatitudinem ordinatur. Si autem auxilium divinum sit supernaturale quoad modum, et non quoad substantiam, potest sperari non præ intellecta beatitudine; sed tale auxilium non constituit obiectum formale spei theologicæ, quia non innititur Deo auxilianti supernaturaliter quoad substantiam, et consequenter elevanti hominem ad finem supernaturalem; hac enim ratione constituuntur virtutes theologicæ, ut dicit S. Thomas I-2, quæst. LXII, articulo primo, quia ordinant hominem ad finem supernaturalem, auxilium autem respiciens finem ultimum supernaturalem, et ordinans ad illum, dicitur supernaturale quoad substantiam, et tali auxilio debet inniti spes, quæ ideo est virtus theologica, quia tendit ad illum finem.

XXXIII. Ad secundum respondetur, quod si sperantur bona creata ex auxilio divino, tanquam obiectum

principale, illud auxilium non erit supernaturale quoad substantiam, sed solum quoad modum, si quidem non ordinatur ad finem supernaturalem, qui est visio Dei, in qua confirmatur omnis ordo supernaturalis, unde talis spes non erit virtus theologica, sed pertinebit ad magnanimitatem, vel ad donum fortitudinis, quod etiam innititur auxilio divino, ut constat ex D. Thoma 2-2, quæst. cxxxix, art. 1. Istæ enim virtutes moventur ad aggrediendum aliqua ardua, et sperandum illa, etiam supra vires proprias, non tamen moventur in ipsum Deum, ut intendendum, vel sperandum, sed circa alia bona versantur extra Deum. Similiter testificatio primæ veritatis, nisi sit supernaturaliter revelans, et de rebus supernaturalibus quibus cognoscimus ipsum finem supernaturalem, non constituit fidem theologiam (ut in tractatu de fide ostendimus) quia ex parte cognitionis non ordinat hominem ad finem supernaturalem, si de illo nihil dicat. Ut si Deus revelaret alicui numerum stellarum, vel arenæ maris, illa locutio Dei esset quædam illuminatio in ordine naturæ, sicut si infunderet aliquas species, vel scientiam naturalem. Ad rationem autem virtutis theologice requiritur, quod ordinat hominem circa ipsum finem ultimum supernaturalem, ut ex D. Thoma diximus.

XXXIV. Ad primam confirmationem dicitur, non esse ponendam quartam virtutem theologiam, quia ille actus non esset spei theologice, sed reduceretur ad magnanimitatem, vel ad donum fortitudinis, aut aliquam similem virtutem aggressivam, quæ semper habet conjunctam spem communiter dictam: et licet respiceret auxilium divinum, tamquam objectum formale immediatum cui inniteretur, tamen non respiceret auxilium, quod esset

supernaturale quoad substantiam, quia hoc dicit intrinsecum ordinem ad ipsum Deum, ut beatitudo est, et finis ultimus; respiceret ergo auxilium divinum, quod esset supernaturale solum quantum ad modum, quod non sufficit ad constituendam virtutem theologiam, quæ est supernaturalis quoad substantiam. Ad ultimum respondetur illum casum implicare, quod speretur beatitudo æterna in auxilio humano temporali, sed admissio per impossibile dicimus, quod tunc non esset spes theologica, quia deficeret ratio formalis, id est, auxilium divinum, ut inniteretur Deo, non tamen ex hoc sequitur, quod si solum respiciatur auxilium, et non beatitudo, maneret spes theologica, quia deficeret objectum materiale primarium, et ipsum auxilium supernaturale, cui inniteretur, non maneret supernaturale quoad substantiam quia non respiceret, ut finem speratum beatitudinem ex ordine ad quam, tamquam ad gratiam consummatam, sumitur ordo supernaturalis quoad substantiam.

#### ARTICULUS II.

##### *Explicatur objectum materiale spei theologice.*

I. Respondeo, et dico primo: Objectum materiale immediatum, et primarium spei theologice est beatitudo æterna. Hæc conclusio non solum est de fide, sed est communis expectatio omnium Christianorum juxta illud ad Titum II: *Expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei.* Et sumitur etiam ex definitione fidei tradita ab Apostolo ad Hebræos XI: *Quod fidei est sperandarum substantia rerum;* sed Deus est objectum materiale prima-

rium quod creditur, ut Joan. XIV: *Creditis in Deum, et in me credite;* et Hebræor. XI: *Accedentes ad Deum oportet credere quia est, et inquirentibus se remunerator sit:* ergo si fides est substantia rerum sperandarum, res quæ attingitur a fide est res speranda, sed illa quæ attingitur a fide est Deus, ergo illa quæ speratur est Deus.

II. Ratione autem S. Thomæ quæst. XVII, art. II, efficacissima est, et ex propriis, quia spes innititur Deo auxilianti: sed effectus debet proportionari causæ; ergo cum Deus auxilians sit infinitæ virtutis bonum ad quod perducit tamquam ad proprium, et proportionatum hujus virtutis auxiliantis, debet esse bonum infinitum, quod est ipse Deus. Et advertenter non dixit D. Thomas quod est proprium virtutis infinitæ perducere ad effectum infinitum, sed ad bonum infinitum, quia effectus infinitus non invenit capacitatem in subjecto, bonum autem infinitum communicabile est finito modo, quæ ratio S. Thomæ ex dictis in articulo præcedenti manet explicata, intelligendo nomine Dei auxiliantis, auxilium supernaturale quoad substantiam, hoc enim exigebat præsens materia in qua agitur de virtute theologica, quæ est supernaturalis quoad substantiam. Quo posito concludit ratio D. Thomæ, quia si spes innititur virtuti supernaturali quoad substantiam in auxiliando, ergo oportet quod bonum ad quod deducit sit infinitum, non infinitate quantitativa in intensione, vel extensione, sed infinitate ordinis, quia est ordinis divini, totus autem ordo divinus supernaturalis ordinatur ad hoc, ut homo fiat divinæ consors naturæ, ut habetur II Petri I. Fit autem consors divinæ naturæ, quando fit ei similis, et tamquam filius in ordine divino: hoc autem habetur, et consummatur per visio-

nem Dei in se, juxta illud I Joan. III: *Similes ei erimus, etc.* ergo hoc bonum est illud quod finaliter speratur ex auxilio supernaturali quoad substantiam. Et si addamus quod virtus spei innititur Deo auxilianti, non secundum absolutam potentiam sed secundum potentiam ordinatam ex præfixo ordine sapientiæ suæ, consequenter ratio D. Thomæ non solum probat quod debet tendere in bonum infinitum, id est ordinis supernaturalis, sed etiam in bonum determinatum in tali ordine. Et cum hæc virtus sit theologica, quæ non respicit media, sed finem, determinatum bonum quod respicit debet esse Deus ut finis, non autem sub alia consideratione, vel communicatione etiam supernaturali.

III. Dico secundo: Objectum immediatum spei non est ipsa beatitudo formalis, id est, visio sed beatitudo objectiva, id est, res visa, quæ est Deus: connotat tamen tamquam modum, aut conditionem requisitam, non tamquam objectum, ipsam visionem. Hæc conclusio est contra Durandum in III, dist. XXVI, quæst. II, qui vult ipsam visionem esse immediatum objectum spei, Deum autem esse mediatum, sed tamen principale, et finale quod mediante priori attingitur.

IV. Nihilominus conclusio posita est certa, et inter theologos communis: videri potest in D. Thoma quæstione, disputatione de charitate, art. III in corpore, ubi ponit ens increatum pro objecto spei; addit autem hic quæst. XVII, art. VI: « Quod spes, et fides faciunt inhærere Deo sicut cuidam principio, ex quo nobis aliqua bona proveniunt. » Unde in obliquo, et in connotato aliquod bonum creatum includit objectum spei. Et præter fundamentum a posteriori, quia spes est una ex virtutibus theologiceis, et consequenter debet habere pro objecto bonum in-